

**A** autem citra hanc, si quis & nostram ipsorum uitam & clara artis huius facta, quæ forte apud egros designarim, fuerit expertus, ut sit persuasus uel ex animi mei moribus, quod neq; inuidia, neq; contentione, neq; temerario quodam amore, quo erga Sectam aliquam sim affectus, agi omnia, aut ex operibus deniq; meis circa hanc artem mihi elaboratis, ut dogmatum ueritati respōdent, & præter Apodicticam illam cōtemplationem, poterit sanè is libris nostris iuari. Et quanquam id non per exactam rerum cognitionem, ( ista enim solis illis demonstrationibus paratur ) per opinionem tamen rectam consequetur, qua de ueteribus merito dictum est, † quorum acta nouimus, nihil moramur scientiam, licet ei legitimum illud, solidumq; absit. Leget igitur is illa primū omnium, quæ sunt introducendis scripta, Librum uidelicet De Sectis, qui eo etiam titulo est inscriptus, De Sectis pro Introducendis. Et illum, De pulsibus pro Introducendis. Tertio, De ossibus librum, & ipsum Introducendis inscriptum: qui inter Anatomicos primus est. Qui uero totam anatomes notitiam sibi comparare uoluerit, is ante alios ad librum anatomicarum administrationum accedat. tradit enim is omnes in Anatomia apparentes particulas: cuiusq; magnitudinis, situs, formæ, cohærentiæ, coloris, & societatis ad inuicem sint, ostendit. Qui autem in Anatomiarum inspectionibus exercitatus fuerit, earum deinceps operationes discet, alias quidem Naturales, tribus à me libris expositas, & De potentijs naturalibus inscriptas: alias uero Animales dictas, in alijs pluribus à me tractatas. Quas precedit liber De Anatomia mortuorum. Hunc autem duo sequuntur De sectione uiuorum: Et eos rursus alijs duo De sectionis controuersia. Post hos sunt tres illi De thorace & pulmone. Duo item De causis respirationis. Vnus etiam De uoce. Ex hoc genere sunt libri quoq; De motu musculorum: Et quæ De uocabulis tradidi. Ea uero, quæ De demonstratione elementorum traduntur, non omnia sum in libro executus, sed quatenus ipse Hippocrates usus fuerat. Quod si quis absolutissimam elementorum corporis nostri cognitionem requirat, legenda sunt illi, quæ in Decimotertio Demonstrationum libro, & in quinto & sexto De Asclepiadis dogmatibus, à nobis exposita sunt. Præterea, quæ De purgantium medicaminum potentijs scripsimus. Differuimus etiam quædam in eo, quem De elementis secundum Hippocratem inscripsimus, commentario, Seorsim deniq; in alio quodam libello ea de re tractauimus. Post librum uero De elementis secundum Hippocratem, sequuntur De temperaturis libri tres: Et eos rursus tractatus De simplicium medicaminum facultatibus: Hunc autem alter ille De compositione medicamentorum tractatus. In prioribus igitur de proprio animalibus temperamento & cuiuslibet indicio, in posterioribus autem de pharmacorum temperamento differitur. Si porro quis post duos illos, aut tres, uoluerit uel eum De optima constitutione corporis, uel De bona habitudine, uel De inæquali temperatura libellum legere, conuenienter, nec sine ordine id fecerit. Parui quidem sunt illi, & amicis tantum sic exigentibus conscripti, ab illis uero in plures deinceps euulgati. Nam & eorum facultatem in tractatu de sanitate tuenda expedieram, qui differentias constitutionis corporis nostri complectitur.

*Hic desiderantur multa.*

Explanationum, tum quæ recte dicuntur, tum quæ non, præexercitato in nostris tractationibus. Habebis præterea & nostros in quædam Hippocratis Commentarios. qui quando iam partim scripti sunt, etiam reliquos adijcere tentabo. quod omnino quidem, si uiixerimus, fiet. Sin autem morte preuentus, ante, q̄ utilissima uiri illius scripta exposuerim, uita excedam, habebunt tamen studiosi eius sententiam, meaq; ut dictum est, opera una cum ijs, quæ nunc extant, commentarijs. Atq; utinam Pelopis mei præceptoris, & Numisiani ( pauca enim illorum ab interitu adseruata sunt ) & præterea Sabini, Rufiq; Ephesii, in Hippocratem interpretationes omnes haberentur. Quintus autem, eiusq; discipuli, uiri illius sententiam non planè sunt assecuti: unde factum, ut in suis expositionibus multoties aberrarint. Lycus autem reprehendit quoque non nunquam Hippocratem, mendaciq; illum ( cuius tamen non intelligit dogmata ) arguit: nota enim passim eius Commentaria sunt. Noster uero præceptor Satyrus, ( nam huic primo conuersati sumus, postea uero Pelopem audiuius ) non eisdem Lyco Hippocraticorum librorum expositiones faciebat. Confitetur uero Satyrus diligentissime se Quinti dogmata obseruare adeo, ut nec addere quid illis, nec demere uellet. Nam Ephicianus aliquanto etiam magis ad Stoicorum ritum concessit. Nos autem, cum postea audiuissemus primo Satyrum Quinti interpretationes recitantem, deinde quædam etiam Lyci legissemus, utrunq; reprobauimus, ut qui Hippocratis sententiam non exacte perceperit: melius enim intellectus est à Sabino, & Ruffo. Quod facile quidem iudicare poterit, qui in nostris fuerit commentarijs præexercitatus, ex quibus, & quæ bene recteq; dixerint, & ubi lapsi fuerint, cognoscet. Sed de interpretationibus in Hippocratem iam satis dictum: quare ad reliqua nostra uolumina, quæ ad rem logicam pertinent, pergamus. Ex illis autem tibi quidem, mi Eugentiane, & quotquot uni medicinae student, ea, quæ De demonstrationibus scripsimus, sufficere possunt: alijs autem, quicumque philosophiæ se addixerunt, cætera quoque legenda sunt. Nisi si quis forlasse utrasque, & medicinae, & philosophiæ theorias commode beneq; possit perdiscere: eum uero & ingeniosum, & memo-

Isagogici

c 3 rem,

*Ipsam ad actiones nihil esse in ferriorem scientiam.*

rem, & laboriosum esse oportet, præterea eam sortitum foelicitatem, quæ nobis contigit, qui sub E  
 patre docti, Arithmetica, logica, grammaticaq; sumus instituti: in hisq; humanioribus disciplinis  
 usq; ad ætatis annum decimum quintum enutriti, ad dialecticamq; ab illo contemplationem, ut  
 soli deinceps philosophiæ uacaremus, perducti sumus. Annum postea decimum septimum agen  
 tem claris in somnijs monitus ad medicinam me perduxit, ut cum philosophia illam coniungerẽ.  
 Talem uero ego meam foelicitatem quanquam maiorem etiam redderem, quod citius meliusq;  
 reliquis omnibus, quæcunq; docebar, discerem, nisi tamen per uniuersam adeo uitam in illis me  
 dicinæ philosophiæq; theorematibus me diligenter exercuissem, nihil præclarum, excellensq; e  
 ram consecuturus. Quapropter mirum nõ est in tanta hominũ multitudinem, qui in medica & phi  
 losophica exercitatione, studioq; uersantur, non inueniri, qui recte in illis profecerunt. Aut enim  
 natura parum ad eas sunt appositæ: aut non, ut conueniebat, sunt instituti, aut studijs non fide  
 liter seduloq; institerunt: sed ob Rempublicam capeffendam, ab his discesserunt. Et hæc quidem  
 obiter nobis dicta sint, quanquam non omnino præter rem. Post eos igitur De demonstratione  
 libros, nostras philosophicas theorias legere oportet. Quæ uero illarum subiecta, & quot sint, in  
 unaquaq; earum scripsimus. Sed hæc latius in eo libello, quem De omnium librorum meorum  
 conscriptione conficiam, exequar. Quod autem me de tractatu, in quo usurpata apud scriptores F  
 Atticos nomina secundum ordinem primarum in ipsis literarum ex eorum scriptoribus collecta  
 sunt, rogasti, quæ iam antea tibi respondi, operæ precium arbitror hic etiam tibi commemorare.  
 Nam compertum habeo alios quoq; multos, quodnam eius libri sit argumētum, querere. Et qui  
 dem in eo tractatu non hoc agimus, quod hoc nostro seculo multi, qui omnibus Attice loquendi  
 sinceritatem imponunt, siue illi Medici, siue Philosophi, siue Geometrici, siue Musici, siue Iuris  
 consulti, aut nihil etiam horum, sed alioqui uel opulenti, uel diuites sint: uerum contrarium inten  
 do, neminem prorsus, ob orationis solœcismos esse reprehendum incessendumue. Præstat e  
 tenim lingua, quam uita, solœcismos barbarismosq; committere. Quin & libellus aliquando mi  
 hi scriptus est contra eos, qui in solœcissantes uoce, inuehuntur: tantum abest, ut eruditionis esse  
 partem aliquam Atticismos asseram. Præterea quoq; propter multos & medicorum, & philoso  
 phorum, quorum alij noua nobis Græcorum uocabulorũ significata præscribunt, alij aliud, Com  
 mentaria uocabulorum, octo ac quadraginta libris conscripsi, ex Atticis illa scriptoribus conge  
 rens, quemadmodum etiam alia ex comicis. Quod opus mihi, sicut recensui, scriptum est propter  
 significationes. Illud autem qui legent, simul & Atticorum nominum notitiam adipiscantur: quæ G  
 ipsa per se quidem nihil magno studio dignum habet. Sed & alius à me tractatus De uocabulorũ  
 rectitudine editus est propter illis perperam utentes: quem sanè uel primum omnium diligētius  
 euoluere fuerit consultum.



## GALENI DE SECTIS AD EOS QUI INTRODVCVNTVR.

Horatio Limano interprete.

Denuo emendatus.

Quid Empirici & Rationales medici differant. Cap. I.



D sanè quo Medicina intendit, sanitas est: hanc ipsam uero parare artis eius  
 dem finis est. quibus autem rebus aut absens comparetur sanitas, aut eadem  
 conseruetur præsens, cognoscant medici necesse est. uocanturque ea, qui  
 bus absens illa creatur, remedia auxiliæque: quæ uero præsentem eandem  
 custodiunt, salubris ratio uictus. quapropter ars ipsa medendi salubriumq;  
 insalubriumq; scientia ab antiquis scriptoribus dicta est, qui salubria dixe  
 runt, & quæ præsentem sanitatem conseruant, & quæ eandem corruptam  
 resarciunt: insalubria uero quæ illis contraria sunt. utraque enim cogno  
 scant medici, necesse est, ut illa eligant, hæc autem effugiant. unde uero harum rerum para  
 ta scientia sit, non itidem inter omnes conuenit, sed alij solam experimentorum notitiam arti sa  
 tis esse dicunt: alijs autem non parum ratio in artem eadem conferre uidetur. nominanturque,  
 qui à sola experimentorum nouitia procedunt, nomine ab empiria, hoc est experientia, deducto  
 empirici. eodemq; modo, qui ratione ducuntur, rationales. duæq; sunt hæc primæ in arte medendi  
 hæreses.

**A** hærefes: altera, quæ per experimenta ad inuenienda medicamēta procedit: altera, quæ per indicationem. illisq; imponere nomina, empiricam, rationalemq;. empiricam autem nominare Græci solent *πειρατικὴ*, & *μνημονοδικτικὴ*, hoc est obseruaticæ memoremq;: rationalem uero *λογικτικὴ*, & *ἀναλογιστικὴ*, hoc est dogmaticā & ratiocinatricē. ac uiris quoq; perinde, atq; hæresibus, dedere nomina. empiricus tiriticusq; & mnimonœuticus, hoc est empiricos obseruatoresq; ac memores eorū, quæ euidētia sunt, uocantes eos, qui sibi experiētiā elegerūt: logicos autē dogmaticosq; & analogisticos, hoc est rationales dogmaticosq; & ratiocinatores, eos, quibus admissa ratio est.

De arte Empiricorum. Cap. II

**A** Rtem uero empirici sic constitutam dicunt. Cū multi uisi sint affectus incidere, alij quidem spōte, agris hominibus, sanisq;, ut sanguinis fluxus ē naribus, aut sudores, aluiue profluvia, aut quæ similia sunt, iuuantia lædentiaue, non quæ tamen efficientem causam sensu deprehensam haberent: alij autem, quorum causa euidentis esset, euenire uisi sint, non ea tamen ē nostro instituto, sed quæ fortuito incideret, ut cuiusdam lapsio percussioe aut aliquo aliter modo uulnerato sanguinem contigit effluere, frigidamq;, ut cupiditati obsequeretur, in morbo sumere, uinūm ue, aut aut aliquid generis eiusdem, quæ singula in utilitatem noxamue desuerūt, quæ quidem ē primo genere iuuantia lædentiaue sunt, naturalia uocantur: quæ uero ē secundo, fortuita: primamq; amborum faciem, casum appellarunt. ut ex eo nomen imponerent, quod homines in ea inconsulto caderent. quod igitur experiētiæ genus casu uenit, huiusmodi est. Quod autem consulto fit, cum aut insomnijs hortantibus, aut aliunde ducto arbitrio ad experimētum uolentes uenerint. At uero tertium experiētiæ genus, imitatorium est: cum rursus in iisdem affectibus ad ea experienda ducuntur, quæ aut natura, aut fortuna, consultioe profuerint, obfuerintue. atq; hoc ipsum quidē est, quod maxime artem eorum constituit. non enim bis tantum aut ter, sed sapius id, quod ante profuit, imitati, idemq; in iisdem affectibus ut plurimum facere inuenientes, ac eiusmodi memoriam præceptum uocantes, iam fidele id artisq; partem statuunt. ut autem multa eiusmodi fuisse ab ipsis congesta præcepta, id omne congestum medicina fuit: qui uero cōgessit, medicus: uocatumq; ab iisdē est huiusmodi congestum *αἰσθητικὴ*, hoc est intuitus proprius, qui memoria quædam est eorum, quæ sæpe eiusdemq; modi uisa sunt. hoc idem etiam experiētiā nominarunt: eiusdem uero narrationem historiam. hæc enim eadem res ei, à quo obseruata est, proprius est intuitus. ei autem, qui quod obseruatum est didicit, historia. Quoniam autem morbis quibusdam interdum occurrebant, quos ante non uiderant, aut quos nouerāt quidem, sed in eos his locis ortos incidebant, ubi non erat, quæ experimento obseruata essent medicamentorum facultas, certum inueniendū auxiliā instrumentum finxerunt, ad simile transitum: quo utentes idem sæpe auxiliū ab affectu ad affectum similem transferunt, & à loco ad locum. itemq; ab auxiliō ante cognito ad aliud simile transeunt, uerbi gratia, ab affectu ad affectum, si ab erysipelate ad herpetem se transferant, à loco uero ad locum, si à brachio ad femur. ab auxiliō autem ad auxiliū, si in alui profluuijs à coroneo malo ad mespilum transeāt. omnis autem huiusmodi transitus, uia ad inuenitionem est, nondum autem ante experimētum inuentio, sed quando iam, quod in spem uenit, experimēto traditum est, id fidele iam tum teste eodem experimēto est, idq; nihilominus, quam si sæpe eodem modo se habere obseruatum esset. id autem experimētum, quod transitum à simili sequitur, exercitatorium uocant, quod exercitatum in arte esse oportet eum, à quo quidpiam hoc pacto inueniendum sit. Superiora autem omnia experimenta ante notitiā experimētorum habita, quibus opus erat ad artem constituendam, hominis uel cuiuscunq; esse possunt. hæc est, quæ per experimenta ad artis finem uia est.

De arte Rationalium. Cap. III

**D** E A uero, qua per rationem proceditur, cum naturam corporis, quod curandum tentatur, disci iubet, tum omnium causarum uirtutes, in quas quotidie corpus incurrens, ipsum se aut salubrius aut insalubrius redditur. iamq; post hæc aeris naturam aquarumq; atq; locorum, eamq;, quæ uitæ studijs inest, quæ cibis ac potionibus, nec non assuetudinibus, scire medicū aiunt oportere, quo & morborum omnium causas, & facultates remediorum inueniat, isq; sit, qui conferre ratiocinariq; possit huic generi causæ hanc uim habens adhibitum medicamētum, ut certum aliquid efficiat, natura esse aptum. negant enim illum inuenire posse remedia prius, quam in omnibus his multifariam sit exercitatus. ut autem ex breui exemplo rem totam cognoscas, pone partem corporis aliquam dolentem, duram, renitentemq;, quæq; in tumorem sublata sit. hic causam medicus inueniat, oportet, primumq; noscat humido aliquo naturæ modum superante in partem prolapsio eam intumuisse, eodemq; intendente in dolorem inuectam: deinde uero, id si influat adhuc, fluxum ab eodem esse cohibendum: si nihil superest: educendum id, quod sit in parte contentum, quo igitur modo quod influit adhuc inhibebis, educes, quod in parte contentum est: si refrigeres adstringasque partem, inhibebis, quod influit. sin eandem humectes laxasque, educes, quod congestum est. sic illis in ipso morbo eius, quod utile est, oritur indicatio. quam solam tamen satis esse negant, sed aliam esse, quæ à potentia laborantis sit, ab ætate aliam. quibus etiam accedit ea, quæ à propria ægroti natura ducitur, eodemq; modo à tempore an-

ni, lociꝫ natura, uitæꝫ studijs, & assuetudinibus, è singulis propriam eius, quod conducat indica-  
tionem oriri. uerbi gratia, ut hoc etiam exemplo res magis innotescat, esto, quem febris acuta oc-  
cupet, cui tardi motus, grauisꝫ sensus corpori sit, qui corpore tumidiori, quam ante, ac pleniori  
rubore suffusus, idẽꝫ uenas habeat magis intumẽtes, cuiꝫ perspicuum est copiam sanguinis ho-  
mini sic affecto calidioris exuperare. Quanam igitur curatio est: nõne liquet euacuationẽ esse:  
contraria enim hæc multitudi ni est, Contrariaꝫ contrariorum remedia sunt. quo autẽ pacto, aut  
quoad illa dematur, non potest etiam ex sola causa cognosci: cum insuper uirtutem oporteat, æta-  
temꝫ, & anni tempus, ac regionem, cæteraꝫ paulo ante proposita cõsiderare. nam, si ualidior po-  
tentia sit, ætasꝫ in consistendi uigore, uer, tempus anni, lociꝫ natura temperata, non tibi errare  
continget, si uena incisa tantum sanguinis mittas, quãtum causa iubet emitti. sin imbecilla uirtus  
est, ætasꝫ aut pueri natu admodum parui, aut senis in senium longe prouecti, regioꝫ aut frigore  
algeat, qualis Scythia est, aut calore exusta sit. qualis est, quam Æthiopes incolũt, anniꝫ tempus  
uehemẽter uel frigidum sit, uel incalescat, nemo est, qui uenam discindere audeat. ita iubẽt quoꝫ  
& assuetudines, & uitæ studia, naturasꝫ corporum considerari, ex his enim omnibus propriam  
eius, quod conferat ipsi, indicationem oriri.

*Quo pacto eadem Empiricorũ, & rationaliũ medicorũ remedia à diuersis indicationibus orientur.*

Cap. III

FI

**E**X quibus aut rebus indicatio nascitur ijs, qui rationalem medicinã profitentur, ab iisdem ob-  
seruatio eius, quod utile sit, empiricis est. eorum enim accidentiũ, quæ superius in febricitate  
retuli, congeries, quæ cõcursum ab illis nominatur, exinanitionis admonet rationalem medicũ, ob-  
seruationis memoriã suggerit empirico. nã, cum sepius ijs, qui sic affecti essent, exinanitionẽ uide-  
rit utilem esse, eandẽ, si utatur, sperat hoc tẽpore quoꝫ prodesse. idẽꝫ ab ijs, quorũ est ætas in cõ-  
sistẽdi uigore, per ea, quæ sepius ab ipso uisa sunt, fat exinanitionis nouit sine molestia ferri: ita ue-  
re magis, q̃ ætate: & si tẽperata regio est. si uero etiam æger euacuando corpori assuetus sit, qua-  
lis est, quæ per hæmorrhoidas, aut quæ per nares euacuatio euenit, iccirco etiã plus sanguinis de-  
trahat ab ipsa rei natura profectus rationalis medicus: hoc idem uero empiricus faciat, qm̃ sic ab  
ipso obseruatũ sit. & ut summam dicã, eadem in iisdem affectibus medelæ & ab ijs, qui rationẽ  
profitentur, & ab empiricis medicis trahuntur. de modo inueniendi eas inter eosdẽ dissensio est.  
ab iisdem enim accidentibus, quæ circa corpus apparent, oritur ijs, qui rationales sunt, causæ indi-  
catio, ex qua curationem inueniunt: empiricis aut memoria repetuntur ea, quæ sepe simili modo  
obseruata sunt. Cum aut nullum ex ijs, quæ apparent accidentia, rationales habent, ex quo causa  
pateat, tũc sciscitari causam procatartica, id est euentẽ uocatam, nõ dubitant: quale est, si ca-  
nis rabiosus momorderit, uiperæ uel, aut eius generis aliud. nã ulcus ipsum nulla re ab alijs ulcerib.  
diuersum per omne tẽpus aut certe per initia apparet. si enim à rabioso cane est, alijs morfu alteri  
us illatis simile per omne tẽpus ostenditur: si aut id ab ictu uiperæ est, primis quidẽ diebus se cæte-  
ris simile repræsentat, post aut, ubi iam laborans ipse grauius habet, ei circa corpus affectus qui-  
dam superueniunt perniciosi. quippe casus eius generis omnes, qui à pestiferis uocatis animalib.  
eueniunt, nisi per initia protinus recte curent, eo deueniunt, ut summe perniciosi sint. Quæ igitur  
recta curatio est: an scilicet uenenũ extrahere, quod unã cũ ictu corpori percusso inhæsit: ideoꝫ  
ad cicatricem perducere claudere uel, quæ huiusmodi sunt, non accelerant, sed contra agunt, eaꝫ  
insuper minutim admodum sæpe concidunt: iam iisdem quoꝫ, quæ calida acriaꝫ sunt, quibusꝫ  
attrahi uenenum sicariꝫ possit, medicamentis ob eandẽ causam utuntur. Adhibentur quoꝫ hæc  
eadẽ ab empiricis medicamẽta, qui non duce natura rei ad ea inueniẽda procedunt, sed eadẽ, quæ  
usus ostenderit, memoria repetunt. ut enim ipsi ex ætate, & anni tẽpore, lociꝫ natura, ceterisꝫ,  
quæ memorata sunt, per experientiarum notitiam curationis habebatur cognitio, sic ex causis  
quoꝫ, quas euidentes uocant, iisdem cognita curatio est. Quod si utraq; inueniendi uia mutuum  
inter eos consensum habuisset, nil opus illis longiori oratione fuisset.

*Quæ Empirici, & Rationales medici inuicem reprehendunt.*

Cap. V

H

**Q**uoniam aut experientiam accusant ijs, qui rationalem artẽ profitentur, eamꝫ alij constitui  
posse negant, alij mancã esse dicunt, alij artis experte: contra aut empirici rationẽ quidem pro-  
babilem, ut quæ tamen non uera sit, accusant, iccirco duplex utrisꝫ longaꝫ admodum decurrit  
oratio, cum alternas accusationes defensionesꝫ adhibent. Quæ enim aduersus experientiam ab  
Asclepiade disputata sunt, qui fieri nõ posse monstrauit, ut ad eundem modum posset quicquam  
sæpissime uideri, neq; posse ulla ex parte constitui eam, neq; aptam quidem ad minimum quid-  
piam inueniendum esse uolunt: Quæ autem ab Erasistrato dicta sunt, qui simplicia quidem at-  
que in simplicibus per experientiam confessus est inueniri remedia ( quale est stupori dentium  
portulacam mederi ) hoc idem uero compositis esse atq; in compositis negauit, eandem inueni-  
endi quidem facultate non ex omni parte carere, ad omnia tamen inuenienda non idoneam esse  
uolunt: Tum uero, quæ explicata sunt, hæc uero ab ijs, qui per experientiam quidem ea inueniri  
concedunt, hanc ipsam autem, quod infinita longaque sit, & ut eorum uerbo utar, amethodos,  
hoc est methodo careat, accusant, itaq; rationem inducunt, ipsam, non qualis constitui aut sub-  
sistere nequeat, sed quale aliquid est, quod sine arte sit, experientiam esse uolunt. His igitur, qui  
adeo

**A** adeo uerbis insultant, respondent empirici, conanturq; experientiam eiusmodi esse monstrare, ut cōstitutionem recipiat, ut, quod satis sit, habeat, ut in se artem cōtineat. ijdemq; rursus multis modis ipsam ratiocinationem, hoc est analogismū, reprehēdunt: ut rursus quoq; necesse sit ijs, qui ratiocinationem disciplinam profitentur, ad singula reprehensionis genera respōdere. His enim, cum se naturam corporis, morborumq; omnium ortus, uiresq; remediorū nosse proponūt, tunc instant empirici, qui hęc omnia iccirco crimini dant, q; eatenus quidem procedūt, ut probabilia uerisimiliaq; sint, nulla tñ eorum certa cognitio sit: interdum ijdem, cum earum rerum cognitionem concedant, eandem tñ conantur inutilem esse monstrare: interdum, cum illis hoc ipsum dent, eam su peruacuam esse coarguunt. Hęc sunt, quibus inter se generatim empirici rationalesq; certant. In quibus etiā omnib. multa particulatim cōtendunt: quale est, quod in quęstionibus, quas de rebus inueniendis abditis tractant, alij corporum dissectionem indicationemq; ac dialecticam speculationem laudant: hęc siquidem ipsis instrumenta esse, quibus ea uenentur, quę in obscuro posita sunt. Empirici autē neq; inueniri quicquā membrorum dissectione concedunt, neq; si fieret, id arti necessarium esse: ac ne omnino quidem indicationē esse, neq; aliud ex alio posse cognosci, quia omnia postulēt ex semetipsis agnitionem: neq; id, quod suapte natura abditum sit, ullo signo indicari, ac nec ulli quidē arti opus dialectica esse. Dein aliquid cōtra dialecticas suppositiones dicunt, contraq; definitiones, ac ne esse quidem demonstrationē pronunciant rei ullius, quę incerta naturā sit: itēq; de uitiolis demonstrandi modis, quibus uti solēt ij, qui ratiocinationem medicinam sequunt, deq; omni ratiocinatione loquunt, eamq; quod proficitur, inuenire nō posse, eademq; nec artē iam ullam constitui, neq; hominum uitam proficere, quem autē epilogismū Gręce uocāt, quem ijdem euidentem rationē esse dicunt, utilem ad ea inuenienda esse, quę opportuna latētia sunt (sic em̄ isti nominant, quę sensibilia quidē, non tamē adhuc euidentia sunt) eundemq; ad eos arguendos utilem, qui contra euidentia audēt dicere: utilem quoq; ad ostendendum id, quod inter euidentia pręteritur: utilemq; ad occurrendum sophismatis, quiq; nunq; ab euidentia absit, sed cū ea semper uersetur: quod tamē analogismo, id est ratiocinationi esse negāt, sed eam ab euidentibus rebus initium trahere, desinere in ea, quę perpetuo abdita sint: ideoq; uarios eius esse modos, cum ab euidentibus iisdem rebus alius ad aliud, quod abditum sit, accedat, indeq; discordiam, quę dñjudicari nequeat, esse paratam, quam indicium esse incomprehensibilitatis dicunt. nam ijdem isti, quę uera firmaq; cognitio est, comprehensionem uocant: incomprehensibilitatem uero, quod ei contrarium est. itemq; incomprehensibilitas ab iisdem causa dicitur diffensionis, quę iudicari non possit, rursus autē diffensio incomprehensibilitatis indicium. quę autē de rebus obscuris contētio est, eā posse iudicari negant, posse autē eam, quę de perspicuis est. in his enim cum singula, qualia sint, appareant, si uera loquimur, sic esse testificantur: si mētīmur, coarguunt. Hęc similiaq; innumera sunt, quibus empirici rationalesq; medici certāt, à quibus eadem tamen in iisdem affectibus adhibetur curatio, ijs quidem, qui in hęcresi sint sua legitima exercitati.

De Methodicorum secta.

Cap. VI

**Q**ui autem methodici uocantur, sic enim ipsi se nominarunt, quasi rationales ij, de quibus ante retuli, non se methodo dicant artem tractare, ij mihi nō uerbis tenuis uidentur ab antiquis sectis dissidere, sed ipsa etiam artis opera multa inuertere: cum neq; locum affectum utile quidpiam ad curationem indicandam dicant habere, neq; causam ipsam, neq; ætatem, nec tempus anni, neq; regionem, deniq; nec uirtutem ægroti considerandam, aut eiusdem naturam habitumq;: ijdem uitę studia assuetudinesq; reiñciunt, cum se dicant eius, quod conferat, indicatione contentos, quę ab affectibus solis trahatur: ac ne ab his quidem per species, sed communiter & generatim: ponantq; ac nominent morborum cōmunia ipsa hęc, quę ubiq; in singulis affectibus sunt. Iidemq; conantur, alij morborum omnium, qui uictu curantur, alij omnium absolute communia

**D** in morbis ostendere duo, itemq; tertium aliud mistum: illisq; imposuere nomina adstrictionem profluuiumq;. sic morbum omnē aut adstrictum dicūt, aut fluentē, aut ex utroq; mistum. si enim naturales suppressę sint corporum excretiones, adstrictum uocant: si magis ferantur, fluentem: si autem & suppressę illę sint, & ferantur, ea de re mistionem oriri. quale est, si oculus inflammatio simul fluorq; occupet: nam ab inflammatione, quę adstricta affectio est, cum non sola nunc, sed cum fluore in uno eodemq; loco orta sit, totū ipsum affectū mistum effici. At uero indicationem eius, quod conferat, laxitatē in adstrictis esse: in fluentibus uero compressionē. nam, si genu, uerbi gratia, inflammatione laboret, relaxare aiunt oportere: si fluat aluus, cohibere atq; comprimere: in mistis autē contra id instare, quod maxime urgeat: etenim, quod magis turbet periculumq; inferat, hoc idē est, quod illi magis occurrere uehementiori malo oportere, q; alteri, dicūt. Cur igit non ipsi se rationales uocarunt, cum pręsidia per indicationē comparēt: quoniā inquit, rationales obscura scrutantur, nos autē in rebus uersamur euidentibus. Totamq; deniq; sectam suam ita definiunt, ut eorum cognitio sit, quę communia euidentia sunt. quę ne cæteris omnibus artibus uideatur communis definitio (nam illas quoq; eorum, quę cōmunia euidentia sunt, notitias esse putant) addunt, ut ea sint, quę finem medicinę sequantur: Eorumq; aliqui, non quę sequantur, sed quę eiusdem fini consentanea sint, adiunxerūt: pars autē maxima, hęc ambo componens, methodum

thodum, inquit, notitiā eorū esse: quæ cōmunia euidētia sunt, eaq; medicinæ fini cōsentanea con-  
 sequentiāq;: Quidam autē, ut Thessalus est sic, ut eadem proxima ac necessaria sint ad sanitatem.  
 Ita neq; rationales se nominari, non enim se rebus obscuris egere, ut illi, neq; empiricos uolunt, et  
 si maxime in euidētia uersantur, ab illis enim per indicationem esse remotos. ac ne modum quā-  
 dem ipsum, quo in euidētibus reb. uersantur, cōmunē esse sibi cum empiricis dicūt, illos enim re-  
 cedere à rebus obscuris, quia cognosci nō possint, ipsos autē quanquā hoc idem, sed tamē facere,  
 quia inutiles sint: itemq; è rebus euidētibus empiricos obseruationem, ipsos indicationē habe-  
 re. his rebus igitur ab utrisque dicunt se differre. maximeq; q; anni tempora ætatesq; ac regiones  
 quæq; omnia similia sunt, abscondunt, quæ manifeste quidē inutilia sunt, ut illi putant, sed gloria  
 gratia apud priores medicos celebrata. eamq; maximā esse dicunt methodicæ sectæ uirtutē, glo-  
 rianturq; ea de re, seq; admirabiles putāt. atq; eum, qui uitam breuē dixit, artē longam, reprehē-  
 dunt, rē enim ipsam cōtra ex omni parte se habere, ut breuis illa sit, uita lōga. dēptis enim omnib.  
 ijs, quib. ars iuuari falso putatur, nobisq; ea, quæ morborū cōia sunt, sola intuentibus, neq; longā  
 medicinam esse, neq; difficilem, sed facillimam atq; apertam, quæq; sex mēlibus disci omnis celer-  
 rimeq; possit. ita enim in morbis ijs, qui uictu curātur, rem oēm in angustum ualde esse deductā,  
 eademq; ratione in ijs, qui manu, quicq; medicamētis curantur: in quibus etiā generatim cōia que  
 dam inuenire conantur, scoposq; remediorum paucos subiiciunt. Quare, ut mihi uidetur, nō uul-  
 gato illo semestri spatio discere, sed lōge celerius totam eorū artem liceret. his itaq; ni mentiunt,  
 gratia doctrinæ breuioris agenda sunt: sin autem mentiuntur, negligentia sunt accusandi.

*Quibus rationibus Methodici suam sectam defendant.*

Cap. VII

**Q**uo autem potissimū modo hi mihi uideant iure iudicandi, cæcutiantne in re utili, an, quod  
 superuacuum est, recte ipsi soli effugiant, nunc dicam. non enim exigua mihi uidetur huius  
 rei consideratio, neq; huiusmodi, ut uerbotenus tantummodo inter se procedat, ut quæ de empi-  
 ricis rationalibusq; est, qui, quicquid de inueniēdis auxilijs primū contendunt, deinde de usu eo-  
 rundem consentiunt: sed aut magnopere lædantur à methodica secta artis opera, aut eadem ma-  
 gnopere iuuētur, necesse est. Cum autē in rebus duo sint genera iudicij, alterum, quod à sola ratio-  
 ne procedit, alterū à rebus ijs, quæ euidenter apparent, quod à sola ratione procedit, maius est, q;  
 pro modo eorum, qui introducuntur: ideoq; nunc importunum: quod autem ab euidētia sola de-  
 ducitur id cōmune omnibus est. Quid igitur prohibet hoc esse, quo primō utamur, cum sit & ijs,  
 qui introducuntur apertum, & apud ipsos methodicos honoratum: à quibus nil aliud, quàm eui-  
 dentia, celebratur assidue, eaq; rebus omnibus antepōnitur, quæ autem abdita sunt, omnia inuti-  
 lia esse dicuntur. Age igitur primū de causis, quæ dicuntur euidentes, consideremus, sic euiden-  
 tia posita, ut iudicij regula sit: primusq; accedat ipse methodicus, fereq; in hūc modum dicat: Cur  
 de frigoribus æstuq;, cur de ebrietatibus, de cruditatibus, de satietate, fameq;, cur de lassitudine,  
 deq; † actionibus, cibi generibus, mutatisq; assuetudinibus ò rationales empiricicq; curiosi estis?  
 an omissis ijs affectibus, qui in corpore sunt, hæc illa sint, quibus uos mederi debetis: quorum ne  
 ullum quidem est, quod adhuc adsit, sed ipsa quidem recedunt: quod autem ab ijsdem genitum  
 est, in corpore manet, eiq; mederi oportet. id enim affectio est. hoc ipsum igit considerandum est,  
 quale nam sit. si enim adstrictū est, relaxandum: si fluēs, continēdum, quæcunq; ea causa sit, à qua  
 genitum alterutrum est. quid igitur est, ad quod causa conferat, cum neq; fluens, unq; laxari postu-  
 let, neq; adstrictum contineri: an sit omnino nihil, ut profecto res ipsa ostendit: Similiq; ratione  
 ijdē methodici de obscuris causis & morbos continētibus loquuntur. nā eas quoq; superuacuas  
 esse dicunt, cū ab affectu propria indicetur curatio, eius etiam causæ, à qua is ortus sit, cognitione  
 remota, Eundem sermonis modum habentes ad tempora anni, ad ætates locaq; transeunt: in qui-  
 bus etiā admirantur, cur ab antiquis medicis res tam euidēs intellecta non sit. non enim inflāma-  
 tio, quæ adstricta affectio est, ut aiunt, æstate quidem laxantia præsidia, hyeme autē ab his diuersa  
 postulat, sed eadem in utroq; tempore: neq; in puerili ætate, quæ laxant, in senili uero, quæ conti-  
 nent: neq; in Ægypto laxantibus, Athenis autē cohibētibus eget. itemq;, si inflammationi contra-  
 ria fluensq; affectio sit, nunquā laxantibus, sed semper continentibus opus est, siue sit hyems, siue  
 æstas, siue uer, siue autūnus, nec non si puer ægrotat, si cui consistens est ætas, si senex, aut si quem-  
 piam in Thracia accidat, aut in Scythia, aut in Æthiopia ægrotare, nullā igit alicuius ex his utili-  
 tatem esse dicūt, sed omnia uana curiositate tractari. Quid partium corporis consideratio: an nō  
 inanēs hæc sunt ad indicandam curationem: an quispiam sit, qui dicere audeat inflammationem  
 in parte neruosa, relaxandam esse: eandem uero in arteriosa uenosaue aut carnosa comprimen-  
 dam: aut omnino, si quid adstrictum in aliqua parte corporis eueniat, sit, qui audeat dicere nō id  
 esse laxandum, aut, quod fluens sit, non continendum: Igitur, si partis natura nihil rationem cura-  
 tionis euariat, sed pro genere affectus remedij inuentio est, manifeste inutilis est adhibita partis  
 consideratio, talis igitur in uniuersum methodicus est.

*Empiricorum rationes aduersus Methodicos*

Cap. VIII

**P**ost quem secundo loco prodeat empiricus, eaq; fere proponat: Nihil est, quod ego ultra eui-  
 dentiam intuear, neq; sapientius quicquā profiteor, q; ea, quæ mihi sæpe conspecta sunt. tu si  
 euidētiā

† Alias ægypti-  
 as, id est ocio.

**A** euidentiā uituperas, ut ex sophista quodam superioribus diebus audiuisse mihi uideor, oportū num mihi est ad eos me diuertere, à quibus honos euidentiæ habetur. tu autem uiceris iam uictoria Cadmiā. si autem, ut inter initia ex te audiui, id omne, quod abditum sit, inutile dicis, te sequi uero, quod euidēs sit, confiteris, fortasse erit, ut tibi, quod prætermittitur, ostēdam, si, quod euidēs est, id ego cōmemorem. Duo fuere, qui à cane rabioso morfi, ad eos medicos, quibus cum cōsuetudo intercederet, confugere, medicinam petentes, eratq; ulcus utriq; exiguum, ut ne tota quidē esset discissa cutis. E medicis autē unus ulceri tantūmodo curationem adhibuit, nulla alia sollicitus de re, paucisq; diebus sanam partē ostendit. Alter uero, qui canem rabiosum esse nouisset, tm̄ non festinauit, ut ulcus ad cicatricē perduceret, ut contra etiam id magis amplum magisq; semper efficeret, ualidis utens acribusq; ad multū tēpus medicamentis: itemq; ægrotū interea cogeret medicamenta bibere, quæ ut ille dicebat, rabiei remedia essent. ac ita quidē res cessit utriq; ut, qui medicamenta bibisset, is seruetur, in sanitatē restitutus: alter, qui nil sibi mali inesse putaret, repēte & aquā formidauit, & cōuulsus interiit. An hic tibi frustra euidēs causa quæri uidetur? an alia de causa mortuus homo est, q̄ medici negligentia, qui neq; de causa quidpiam sciscitaretur, neq; curationem post hanc obseruatam assumeret? mihi quidem nullam, præter hanc, ob rem interiisse uidetur: qui, quoniam euidentiā sequor, nullam huiusmodi causam possum prætermittere. ita nec ætatem possum præterire, spernere ue. etenim huic quoq; credere ab euidentiā cogor. cum iisdem ex omni parte affectus non omnino tamen eandem curationē habeant, sed adeo quandoq; diuersam in diuersis ætatibus. ut non sola medicinæ mensura modoue, sed etiam genere toto euariant. nā plerisq; pleureticis in consistenti ætate constitutis ualentibusq; uidi ego sæpe à uobis etiam ipsis sanguinem mitti. sed neq; uos aut in ultima senectute cuiquam, aut puero natu admodū paruo, neq; quispiam alter unquam mittere est ausus. Quid Hippocrates, cum scribit Sub cane et ante canem purgationes esse difficiles? quid rursus cum inquit, Æstate uentrem superiorem purgare, hyeme inferiorem? utrum uera dicere, an mentiri uobis uidetur? difficilem uobis in utroque responsum esse arbitror. si enim mentiri dicatis, ipsam euidentiā spernitis, quam à uobis plurimi fieri simulabatis. ita enim uerum esse euidens est, ut ab Hippocrate scribitur: sin eundem uera dicere respondetis, sit, ut anni tempora admittatis. quæ à uobis inutilia pronūciata sunt. Quin etiam existimo uos neq; peregre usquam procul à patria uestra fuisse, neq; locorum differentias experimentis percepisse. omnino enim nescij non essetis septentrionis incolas sanguinis effusiones non pati eas, quæ affatim fiunt: sic nec eos, qui, Ægyptum aut omnino meridiem incolunt.

**C** qui autem inter hos mediij sunt, ab ijs sæpe euidens ex sanguine misso cōmodum accipi. Illud uero, quod partes non spectentur corporis, est, in quo uos ego ualde demiror, & quod mihi turpe grauius uideatur, quod non ueritati solum, sed ijs etiam, quæ uestræ operæ sunt, contrarium est. o per Deos immortales, quacuncq; in parte orta sit inflammatio, eandem curationem postulat, siue id in crure accidat, siue in aure, siue in ore, siue in oculo? Cur igitur ego sæpe à uobis crurum inflammationes & scalpello cōcisas, & oleo irrigatas inspexi, oculos autem nec unquam quidem? cur his ipsis oculis, cū inflammati sunt, medelam per adstringentia medicamenta adhibetis, crura autem non etiam iisdem inungitis? cur non aures quoq; cum inflammatæ sunt, iisdem, quibus oculos, remedijs medemini? cur nō oculos iisdem, quibus aures, sed inflāmatas aliud auribus, aliud oculis medicamentū est? etenim cum rosaceo acetum, bonum est inflāmatas auribus medicamentum. sed neminem existimo tam audacē esse, ut idem inflāmatas oculis infundat. quod si quis tantū audeat, hunc futurū satis intelligo, ut audaciam nō exiguo cum detrimēto experiatur. iam, cum inflāmatio uuam occupat, ei spinæ Ægyptiæ fructus utile medicamentū est, utile quoq; scissile alumen. utrum autē eadem hæc inflāmatas oculis auribusq; conueniant, an cōtra omnino res habet, ut ad summū lædant? Quæ omnia dico, eo uobis cōcesso, quod primū positū est, inflammationem. si in cruribus sit & in manibus, laxari oportere, non autē, quæ in oculis, aut in uua, aut in auribus est. quod si eam quoq; quæ in crure aut manib. infestat non cuiuscuncq; modi sit, laxandam esse commemorē, fortasse cognoscetis. si respiscitis, in quanto errore uersamini: eritq; quod ego nunc etiam dicam, commemoratio eius, quod euidentiā patet. quibus enim in aliqua parte corporis inflammatio non ex ictu, sed sponte suborta sit ex affectu plethorico à Græcis uocato, nulli laxitate partis ante egent, quam de toto corpore detracta materia sit. id enim si feceris, non modo nihil imminues, sed etiam augebis, quæ orta inflammatio est. quapropter per id temporis adstringentia refrigerantiaq; parti admouemus: mox autem ex toto corpore detractiōe iam facta, tum pars, quæ inflammatione laborat, laxantia patitur. Quod si, dum hæc ipsa propono, non uobis persuadeo tamen (id quod etiam inter initia sermonis dixi) tempus est ad eos me diuertere, à quibus habetur euidentiæ honor.

*Quo pacto rationales medici Methodicorum artem redarguant.*

Cap. IX

**H**is ab empirico propositis, prodeat rationalis, eaq; ferè expromat: Fortasse tibi, si sapias, satis hæc erant, quo minus etatē, tēpus anni, regionē. itemq; causam euidētē, aut aliquam corporis partē inutilem putares. at uero, si tibi nō adhuc persuasum ab empirico est, à quo cōmemorata res euidētes sunt, sed insuper rōne aliqua est opus, eam adijcere uideor mihi debere. tuamq; sectam

sectam in caduco positam esse ostendam. audio enim uos, cum dicitis cognitionem eorum, quæ E  
 communia in morbis euidencia sunt: passimq; interrogans qua maxime re communia hæc conti-  
 neantur, et quo dignoscantur modo, id ne adhuc quidem cognoscere mihi uideor posse. eaq; cau-  
 sa est, quoniam inter uos nominibus tenuis conuenit, de rebus diffiditis, cum è uobis alijs per ea,  
 quæ natura excernuntur, quod astrictum, quod fluens est, metiantur. qui, si ea suppressa sint, adstri-  
 ctionem uitium nominant: si sine modo excernantur, profluuium alijs in ijs affectibus, qui in cor-  
 poribus reliqui sunt, uitia posita dicunt, grauiterq; eos accusant, qui, quod educitur, respiciunt. E-  
 go autem, quo in errore uersari utriq; mihi uideantur, fortasse iam exponam. Primumq; in eos à  
 me uerba fiant, qui per ea, quæ secundum naturam excernantur, morbos iudicant. miror enim,  
 cur isti nec sudoris unquam, neq; urinæ, neq; uomitus, neque deiectionum plus, quam pro modo  
 naturæ, uiderunt bene in morbis educi: itemq; id, quod omnium maxime absurdum est, cur ne san-  
 guinis quidem è naribus cursum, in quo crisis esset, unquam inspexere. at huius uero non mensu-  
 ra solum, sed totum etiam genus præter naturam est. sudoris autem, urinæ, & eius, quod per aluū,  
 aut per uomitum ruit, genus quidem non præter naturam, multitudo tamen non nunquam tam  
 immodica est, ut ego quosdam uiderim, quibus tantum sudoris efflueret, ut plumas etiam made-  
 facerent: alios, quibus deiecta aluus triginta heminas superaret. sed tamen inter hæc nihil mihi ui- F  
 sum est esse sedandum, quoniã educebantur ea, quæ molesta erant: quanquam, si quis ijs, quæ ex-  
 cernuntur secundum naturam, regula usus in omni genere esset, huic inhibenda huiusmodi acci-  
 dentia erant. Quapropter probabilia magis quodam modo sentire uidentur ij, qui eos affectus,  
 qui in corpore sunt, morborum cõia statuunt. At in his uero est, in quo admirer, cur illa ipsa ausi  
 sint euidencia dicere. si enim, non quod fluit è uentre, sed, quæ in corpore affectio est, ex qua duci-  
 tur id ipsum, quod fluit, profluuiū est, eamq; nulli è sensibus patere licet, quo modo erit, ut illa mor-  
 borum cõmunia etiam possint euidencia dici, cū in laxiori intestino affectio esse, in tenuibus pos-  
 sit, in ieiuno, uentriculoq; atq; mesaræo, & pluribus alijs partium interiorum, quarū ulla neq; ip-  
 sa potest percipi sensu, neq; eius affectus: quo modo igitur illa morborum cõmunia possunt etiã  
 euidencia dici, nisi, quod per signa dignoscitur, id euidens quispiam uelit uocare? Quod si ita est,  
 nō uideo, quid iam ab antiquis medicis differant. sed quo modo breui semestriq; temporis spatio  
 artem edocere profitentur? cum non exigua, opinor, opus sit methodo ad aliquid, quod sensum  
 effugiat, percipiendum, sed, qui recte hoc ipsum præstet, huic opus sit & corporum dissectione, ex  
 qua partes interiores, quo modo singulæ natura se habeant, ediscat, & physica speculatione non  
 exigua, ut operationem cuiusq; utilitatemq; consideret, prius, quam enim hæc inuenta sint, non G  
 potest ullius in imò corpore partis affectus dignosci. Quid illud monuisse oportet, huc etiam ma-  
 gnā à dialectica opem afferri, ut, ex quibus quid concludatur, aperte percipias, neq; sophisma  
 uel ex te uel ex altero offendas: nam ipsi à nobis interdum sophismate imprudentes capimur. At  
 uero libenter ex istis requirerem, quid profluuium sit, si modo disputare didicerunt. non enim id  
 tantum modo satis esse arbitror, quod eorum aliqui dicunt, quendam præter naturam affectum  
 profluuium esse. nisi enim, qui sit hic affectus, didicerimus, nihil erit, quod plus à nobis noscatur,  
 laxitasne quædam, an mollities, an raritas sit. nihil enim ab illis audire est, quod dilucide dictum  
 sit, sed quicquid occurrit, modo hoc, modo illud, sæpe uero ut omnia simul, tanq; inter se nihil dif-  
 ferentia. si quis aut eos tentet, quid inter illa intersit, docere, & quod singula propriã speculationē  
 postulant, eum audire ne sustinet quidem: sed etiã antiquos reprehendunt, q; hæc similiaq; frustra  
 distinxerint. adeo illis ueri questio intolerabilis est. Ac ne illud quidē laxo, quod intentū est, esse  
 contrariū, molli, quod durū, raro, quod densum, audire patiuntur, itemq; præter hæc omnia aliud  
 esse naturalia excrementa supprimi, & fluere, atq; omnia hæc ab Hippocrate esse distincta. lidēq;  
 & de his temere rebus pronunciant, inflammationemq; ( sic durum, renitentē, afficientē dolore, ca-  
 lidum tumore nominant, ) facile admodū incōsideratoq; astrictum malum esse proponūt. alias H  
 uero rursus inflammationes mistas appellant, quales, quæ in oculis accidunt, ubi cum fluxione sunt,  
 quæq; in tōsillis, in uua, in palato, in gingiuis. deinde foramina ponūt alia rara esse facta, alia clau-  
 sa, eamq; ob rem utroq; uitio affici. Sunt aut, qui dicere nō dubitēt in uno eodemq; foramine pro-  
 fluuium simul & adstrictionem consistere. quod ne animo quidē comprehendere facile est. adeo in  
 omnem temeritatem feruntur. Quidam aut eorum, ijdemq; pauci, qui pati possunt, ut aliquanto  
 plus de his rebus omnibus audiant considerentq; ut ipsos pœniteat, uix tandem adducti ad ueri-  
 tatem se uertunt. His igitur cæteris, qui paulo diligenter discere de primis aliquid cõmunibusq;  
 morbis uolunt, liber est separatim conscriptus. Nunc aut, ut ijs, qui introducuntur, res utilis sit, ad-  
 uersus eosdem methodicos æquum est pauca dicere, quæ tamē optarim aliquid illis quoq; pro-  
 desse: quod fieret, si cõtentione remota id ipsum, quod dicitur, secū ipsi exquirerēt. Id aut, quod di-  
 citur, est, ut, quæ ab illis etiã ipsis uocata inflammatio est, præter naturā sit tumor dolore afficiens,  
 prementib. digitis renitēs, durus, calidusq; eademq; nihilo magis aut rarā, aut duram, aut dēsam,  
 † quàm antea esset, propria ratione partem efficiat, sed fluēte materia, & ea quidem superuacua  
 impleat, ideoq; intēra pars eadē sit. nō tamen, siquid intentum est, id omnino densius, q̄ ante, aut  
 durius est. illudq; in corijs discas lorisq; & nexu aptatis rebus, licet, si undiq; ea distendere tentes.  
 ita

† Ant. inter-  
 pres addit, aut  
 mollē.